



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ecclesia Cathedrali Cæsaravgvstæ. Ioannis Baptistæ  
Tvrricelli Responsum**

**Torricelli, Giovanni Battista**

**Romae, 1656**

Num. 5. Probatur Cathedralitas Ecclesiae S. Salvatoris ex ultimo statu, à quo praesumitur in praeteritum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13380**

44  
cupant quos quidem auctores refert *decisio sub num. 80.*  
Nunc aduersæ partis argumenta referamus.

### *De Cathedralitate Ecclesiae S. Salvatoris.*

#### *Cap. Secundum.*

**P**ostquam bellica virtute inter Aragonum Reges clarus Alphonsus Hispaniarum cognomento Imperator, Cæsar Augustam è Mauris vindicauit, Petro Libranæ Cæsaraugustæ Ecclesiæ cura commissa, Episcopalem sedem in æde Salvatoris semper fuisse non controvèrtitur.

N.5. Ex hoc ultimo statu quingentis ab hinc annis, & ultra deducto validè inferri ad originariam, & primordialem eiusdem Ecclesiæ Cathedralitatem, donec plenè, & concludenter probetur contrarium; Supponit ipsa *decisio sub num. 1.* Maxime concurrentibus adminiculis ex quibus dicta præsumptio coadiuuetur *iuxta decis. 233. num. 2. par. 1. rec.*

N.6. Primum aurem adminiculum ex priuilegio Alphoni Regis Castellæ, Alphoni Maurorum debellatoris priuigni, elicitor, qui salutis anno 1134. nempè ab recepta Cæsaraugusta decimo sexto, concessiones ab Alphonso, & Ranimiro superioribus Regibus S. Salvatoris Ecclesiæ factas confirmas, eandem Ecclesiam inter cæteras antiqui nominis gloria celebres præclaram nuncupat, & ad eius leuandam paupertatem Ecclesiæ omnes intra Episcopatum Cæsaraugustanum positas, & S. Mariæ templum expresse donat.

De hac Alphoni concessione nequit dubitari, cum in eiusdem Ecclesiæ Archiuio priuilegium inspici possit, & de eo mentionem faciant non modo auctores in *decis. relati num. 5.* sed etiam Bullæ Pontificum Eugenij III. Adriani IV. Alexandri III. & Alex. IV. in quibus donationes Alphoni, & Ranimiri, & hac ipsa posterioris Alphoni cōcessio cōfirmantur. Ex hac autem concessione plura deducuntur, quæ S. Salvatoris Ecclesiæ fauent; ad rem præsentem ea tantum ponderabimus,